



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Solum corpus vxoris Lot, non item animam in statuum salis esse
conuersam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Cadaver, nec habet suum sepulchrum;

Sepulchrum, nec habet suum cadaver:

Sepulchrum tamen, & cadaver unà est;

etsi, inquam, hæc statua & cippus sit, & cui cippus ponitur, nihilominus viuere quodammodo videtur. Siquidem viuentis more quasi menstrua quædam effundit. Non referrem hoc, nisi apud Tertullianum reperirem affirmatum. Verba illius do carminibus innexa.

Tertull. in
carm. de So-
doma,

Ipsaq; imago sibi formam sine corpore seruans

Durat adhuc, nunquã pluuijs, nec diruta ventis.

Quin etiam si quis mutilauerit aduenâ formam,

Protinus ex se se suggestu vulnera complet.

Dicitur & viuens alio iam corpore sexus.

Munificos solita dispungere sanguine menses.

VIII.

Sufficit hoc iâ saxo, aut sale sanguinante monstrum, in quod mulieris istius corpus abiisse, nefas est dubitare. At cum vxor Lot dicatur *versa* esse in statuam salis, quærent nonnulli, An etiam anima illius cum corpore sit in statuam commutata, profectò enim illi tum anima pro sale, & sal pro anima fuisset, essetque prodigium tantò magis formidolosum. Et sunt rationes dubitandi. Sacra enim historia rotundè asserit, vxorem Lot in statuam salis abiisse; at vxor constat æquè, immo magis anima, quàm corpore. Quin ipsa id videtur scriptura innuere his verbis: *Incredibilis* (hoc est, incredula) *anima memoria stans figmentum salis.* Sed hæc nihil euincunt. Consuetum est in diuinis litteris, vt nomen *anima* pro toto homine sumatur, nota Rhetoribus figura: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & apposta sunt in die illa anima circiter tria millia,* id est, homines. Quòd autem absolutè vxor dicatur *versa* in statuam salis, rectè dicitur, etsi anima eius nò sit in statuam salis *versa*. Quod enim viuo corpori contingit, toti homini dicitur contingere. Sic homo dicitur mori, etsi anima non moriatur. Quoniam igitur conuersio vxoris Lot in statuam salis fuit mors eius, & in morte anima non interit, sed solum corpus viuum mutatur in cadaver, conficitur solum corpus vxoris Lot in statuam salis conuersum fuisse. Constat etiam

Sap. 10. 7.

Act. 2. 41.